

F. H. 25, 20.

(X 2000 292)

Ya
214

FAXIT DEUS BONA
SCÆVA!

S O L E M N E M
CLASSIS SUPERIORIS,

MUNIFICO INDULTU
SERENISSIMI PATRIS PATR.

FRIDERICI VVILHELMI,

DUCIS SAX. JUL. CLIV. MONT. ETC.
PRINCIPIS AC DNI CLEMENTISS.

IN

ILLUSTRI SCHOLA
PALÆOPYRG.

NON ITA PRIDEM APERTÆ,

INAUGURATIO.
N E M,

QUÆ

HABEBITUR

PR. KAL. OCTOBR. ANNO ÆRÆ CHR.

MDCCCLXII.

INDICIT,

INSIMUL

AD

DRAMA ANGELICO-
SATANICUM

HUMILLIME, SUBMISSE, OFFICIOSE,
AMICE

INVITANS,

M. CHR. FUNCCIUS,
RECTOR.


TYPIS JOH. BERNHARDI BAIERFINCCII.




FRIDERICI VVILHELMI
SERENISSIMI PATRIS PATR.
MUNINGO INDULTA
CLASSIS SUPERIORIS
S O L E M N I E M
REACT
PAXIT DEUS BONA
ILLUSTRI SCHOLA
PRINCIPIS AC DNI CLEMENTISS.
DUCIS SAX. JUL. CUIUS MON. ETC.
PALAETORIO
NON IN PRIDEA APERTE
IN A U G U R A T I O
N E M

DRAMA ANGELICO
SATANICUM
LUMINIS. CURMIS. OFFICIOS
AVICE
IN V L A N S
M. CHR. FUNDICUS
RECTOR

Typis Jo. D. KRIEGERI HALLENSIS





L. S.



X decantatissima Augurum disciplina inaugurandi verbum peti- tum esse, nemo nisi hospes in Latio, vel plane peregrinus in Romanorum finibus erro ignorat. Apud eos enim augurare & inaugurare idem est ac ex avium volatu, cantu, pastu divinare. Atque hoc sensu vocem apud lepidissimum jocorum facetiarumq; Parentem reperire licet, cum ait: Impetratum, inauguratum est; quodvis admittunt aves. Inauguratum Accius simplici figurâ auguratum dicit in illis apud Disertissimum Romulâ nepotum versiculis:

Nam quod dexteram
Cepit sursum ab læva signum præpotens, pulcherrimè
Auguratum est, Rem Romanam publicè summam fore.

Ad inaugurandum capiunt Romulus Palatinum, Aventinum Remus, scribit Patavina Sirens. Ad inaugurandum, i. e. ad capiendum augurium. Unde & inaugurare locum est capto augurio locum rei gerendæ auspiciatum deligere. Sic utique, cum destinasset Tarquinius, quem Superbum vocant, in monte Tarpejo de manubiis captarum urbium Templum erigere Jovi Opt. Max. locus augurio captandus erat. Is cum inauguraretur, cedentibus Dis Deabusque cæteris (mira res dictu) restitisse Juventas & Terminus feruntur apud consummatissimum Romanorum Panegyristam, L. Annaum Florum. Omnibus enim facellorum exaugurationem admittentibus, aves in Termini fano non addixere. Placuit hæc contumacia Numinum Vatibus, siquidem firma omnia & æterna pollicebantur. Tantum igitur ornandæ amplificandæque religionis hujusce studium erat Romanis, ut non res tantum suas augurio captato gererent, sed locis quoque inaugurandis inservirent, ubi auspiciato cum populo agi posset. Nihil videlicet Orbis Domini in Reipubl. negotiis domi forisque agebant, nisi augurato; augurato Reges, deinde quoslibet Magistratus creabant; augurato publica & privata auspicia curabant; augurato comitia habebant; augurato pacis militiæque munia tractabant, prælia conferebant, fœdera feriebant; augurato quoque templa dedicabant, aras ponebant, focos struebant, & si quæ ramosis in compitis Loca Geniis devovenda erant, ea inaugurabant. Et quoniam nullos hominum cœtus satis bono jure sociari, nulla consilia divinitus fortunari, nullas actiones rite & providenter fieri credebant, quibus illi Jovis Opt. Max. consiliarii atque administri non interessent, singulis tribubus singulos Augures præficiabant, qui res sacras curarent, & voluntatem Numinum per Auspicia inquirerent. Sic quoque Comitiiis curiatis sequioris ævi eosdem adhibebant, ut ex ipsorum arbitrio cœtus haberentur, magistratus crearentur, leges sancirentur. Proinde ex augurali illa disciplina omnium optimè JC. & Criticus judicio doctrinaque nulli secundus, Barnabas Brissonius in mirando de Formulâ & solemnibus P.R. Verbis Opere animadvertit, Augures, cum de cælo servarent, & aliquid comperirent, quod rem susceptam dirimeret, id duobus his verbis, ALIO DIE, denunciassent. Erant tamen in auguriis trita etiam hæc verba, ADDIXIT AVIS, quibus lætum eventum prædixisse significabant. Habet hanc phrasin Romana porticus Zeno, cum ait Libro unico de vite brevitate: Hoc scire magis prodest, quam Aventinum montem extra pomeriū esse, ut ille affirmabat, propter alteram ex duabus causis: aut quod plebs eò secessisset, aut quod Remo auspiciante illo loco AVES non ADDIXISSENT.

Neque verò auguralia saltem distincta erant verba, sed ipsa quoque auguria, unde *inaugurandi* vox descendit, dividebantur: Quædam enim *OBLATIVA* erant, quæ non poscebantur; quædam *IMPETRITA*, quæ optata eveniebant; quædam *STATIVA*, in quibus, quo in loco auguria peragi deberent, consideratum deprehendo apud diligentissimum veteris ævi interpretem, *Servium Maurum Honoratum*. Ecquid Tibi jam videtur, *LECTOR ὁ πάντων*, de *SOLEMNI CLASSIS* nostræ *SUPERIORIS INAUGURATIONE*, quam hodie *ἡμεῖς τῶν σεβασμιωτάτων ἐφορῶν βελάς* ea, quæ par est, reverentia ducto intimo, tuisq; ut illabatur & oculis & auribus *FELICITER* impensè voveo? Tune credis eam ex auguralis scientiæ secretis esse haustam? Non puto. Diu enim est, quod hæc desit. Ut taceam, jam olim à multis, Græcis pariter ac Latinis, iisq; prudentioribus Viris totum istud divinationis negotium esse rejectum. Quid? Nonne *M. Cato*, divinus vir, mirari se dicebat, *quod non videret Augur, quoties Augurem adspiceret?* Ratus enim fuerat inaugurandi artem meram esse imposturam, quæ ex fraude, fallaciis, mendacijsq; confuta, non nisi imperito populo imponeret? Nonne *Demonax* & *Diogenes*, illud *ἄνδρῶν γένος ἐργάνιος τε κύνων*, prostantes in publico Augures irridebant ut nimis parvæ pro veris scituq; dignis oraculis, aut nimis magnæ pro noxiis & incertis ominibus mercedis exactores? Nonne *Panætius* & *Carneades* sapientiæ domicilio auguralem artem divinandi pellebant, *Chrysippus* & *Antipater* explodebant, *Varro* & *Cicero* contemnebant? Et rectè quidem explora habebantur auguria: Ecce enim Dei pacta ea prohibuerant; prohibuerat hominum sapientiorum sanctio; convicerat deniq; fallaciæ mendacijsq; locuples rerum testis experientia, tam apertè quidem, ut pulchrè luderet, nescio quis Poëtarum:

*Nil credo auguribus, qui aures verbis diritant
Alienas, suas ut auro locupletent domos.*

Nemo igitur hodie tam fatuo amplius est pectore, ut aut brutis animantibus rerum futurarum scientiam tribuat; aut Deum illarum, in prodendis secretorum eventuum decretis, voce & gesticulatione uti censeat. Nemo tam infans est cerebello, ut in præpetum aut oscinum pullorumq; motu, situ, incessu, volatu, voce, cibo, colore, opere, occultam haberi divinandi vim existimet. Nemo tam improba est mente, ut affectas à cælo animantes, quæcunq; stellarum sint decreta & siderum constitutiones, præfagire posse credat. Diabolus, diabolus, inquam, malorum artium architecton, omnem isthanc introduxerat inaugurandi disciplinam, quam fusius tradit novus ætatis nostræ *Varro*, *Rosinus*, & in *Paralipomenis* ad eum fidus universæ antiquitatis Romanæ *Depositarius*, *Th. Dempsterus*. Introduxerat eam scil. *Satanas*, ut homines à veritate in sensus reprobos, à religione in errores profanos, à Deo in omne impietatis ac nequitix genus detorqueret. *Ἄποποι!* Ecquis è suis rudibus conquirete artem Diabolicam vellet, inque Christiano Orbe dispergere? *Anticyras* navigaret, ut elleborum sumat, qui è *Latio* aut *Atticâ* inaugurandi rationem cras, *ἔνδ τῷ θεῷ ἀπᾶν*, petere conaretur. Alia sanè mens nostra est, aliud est consilium, aliud institutum. Nempe mens nostra est *orare; consilium adorare; institutum perorare*. Orabimus autem, ut res, quæ bene cœpta, bene vortat. Adorabimus, ut semper eodem loci Deus exaudiat, quem tam manifestus ac præsens, quàm cœlum ac sidera insedit. Perorabimus, ut ad posterum transeat singularis *SERENISSIMI* nostri munificentia, quam plenissimam nostræ experiuntur Musæ. Et cur non uno ore omnes, & docentes & discentes, oraremus? Dubitamus enim adhuc, salubriusne Ecclesiæ, commodius Patriæ, Scholæ denique fructuosius unquam affulserit tempus hoc ipso *inaugurationis die*, quem intimo. Cur non genibus nixi singuli adoraremus? Tantum enim abest, ut patiamur nobis persuaderi, aliunde quàm ab exorato Numine ad Scholâs redundare bona, ut ne audire quidem sustineamus. Cur non etiam seorsim nos duo *superiores Collegæ* in *Panegyri* aliqua peroraremus? Ecce enim aperuit Nostris *SERENISSIMUS* Noster suis sumptibus, quam superiori trimestri dedicavi *DEO, MUSIS, GRATIS, CLASSEM* aliquam *SUPERIOREM*, ut esset orthodoxæ religionis alitrix, Christianæ pietatis alumna, divinæ cognitionis officina, Ecclesiæ seminarium, Legis Gymnasium, Evangelii paradisus. Aperuit *CLASSEM*, è qua, quicquid sapientiæ, prudentiæ, quicquid aut domi regnaret, aut foras egrederetur, aliquando proferperet. *CLASSEM* deniq; aperuit, ut esset *Minnervium* hoc, hoc *Athenæum* fons omnium rerum bonarum, literarumq; decus, artium dignitatem, linguarum necessitatem, vitæ honestatem, morum integritatem,

tatem, virtutum majestatem, & quod esse in vita humana bonum unquam potest, in alumnos suos mittens ac derivans. O Pietatem Principis insignem! O Bonitatem eximiam! Alexandro M. in Persiam cum exercitu proficiscente accidisse ferunt, ut Orphei, vetustissimi Poëtae, statuae passim sudore diffluerent, qua re significatum putabant, Poëtas in describendis Alexandri M. rebus, quas gesturus jam tum erat, habituros esse, quod ungues arroderent; Oratores, quod æstuarent; quod fatigarentur, Historicos. Utinam autem, utinam id mihi divinitus eveniret *inaugurationis hoc tempore*, ut omnia omnino studia, omnes lucubrationes meas ad laudes **SERENISSIMI** nostri summa animi alacritate ebuccinandas converterem! Nam impius essem, essem ingratus, & nullo non stigmate insigniendus nobilitandusque, si munificentiae hujus conticerem majestatem, quâ Optimus Pater Patriae non ita pridem Hebetarium nostrum clementissimè excepit. Absit nunc, ô absit illa solemni Augurum voci similis pronuntiatio: **VITIO CLASSEM SUPERIOREM APERTAM, VITIO DEDICATIONEM EJUS FACTAM, VITIO DIEM INAUGURATIONIS DICTAM.** Sic enim pronuntiassent Augures legimus, **VITIO MAGISTRATUM CREATUM, VITIO DIEM DICTAM, VITIO TABERNACULUM CAPTUM.** Alios profectò mores in inaugurando hoc tempus postulat. Postulat & idem alios ritus. Ritus nimirum postulat Christianos. Christianos, postulat mores. Quò magis aptum pi-umq; erit, à Jova Opt. Max. ante conditore, nunc conservatore Scholarum, *solemnis inaugurationis initium, mediū, & finem capere, eundemq; precari, ut semper in illa nostrae illustris Scholae CLASSE SUPERIORI, cujus DEDICATIONEM cum LECTIO- NUM SYLLABO nuper publicavimus, dignas Auditorio contingere faciat Lectio- nes, utque omnibus, quae dicentur à nobis, suam libertatem, fidem, veritatem constare velit, tantumq; à specie ostentationis abesse jubeat orationē, quantum abest à nugis atque Sicularum gerris.* Sic & aptum pi-umq; erit, in fine precari, ut **SERENISSIMO** Nostro, & per eum Saxonico huic Ducatui prospera omnia, id est, digna seculo ipsius contingant.

Habes, **LECTOR VENERANDE**, veram eamque pi-um ac Christianam *inauguran- di rationem*, quae, **CLASSI SUPERIORI**, munifico **SERENISS.** nostri indultu adaper- ta jam pridem destinata, cras *Θες τρισμηνισσ υοη παναγισσ δισδον* in au- gusta Panegyri habebitur. *Υπογραμμον* tamen etiam *οφθαλμοσ αλλομενσ τσ δσξισ* eorum accipias jam velim, quae omnium Ordinum Prostatarum, Parastatarum, Epistatarumq; auribus & oculis ultro sese objicient. Ecce enim sub ipso **SERE- NISS. PRINCIPP.** introitu **MERCURIUS** personatus prodibit, cumque novem **MUSIS APOLLO**, quorum ille *letitia affectum ob gratiosissimum Principp. adven- tum Teutonico Poemate* exprimet, hic *Latino Carmine pietatem suam testabitur, atque Sorores ad excipiendam praepimis, inq; sinu fovendum Celsiss. juventuris Princippem,* **CHRISTIANUM**, *Ducem Saxon. Jul. Cliv. Mont. &c. Dominum nostrum Clementiss. Amorem atq; Delicium patriae,* excitabit, ut in earum nutritu verniliter succre- scat. **MUSAE** proinde non grata tantum vocis organicae atque assae harmo- niâ universae luxuriabunt, sed *Lyricis quoq; singulae versibus pro incolumitate Celsis- simi Principis* vota nuncupabunt pariter ac signabunt, multos interim stimulos in animo Principis relinquere annisura, quò pergat incomparabili literas amore prosequi. Ut autem personatus ille *Mercurius defacato* erit animo in exoptatis- simo **SERENISS. PRINCIPP.** ingressu, ita onerabit se etiam hilaritudine in augustissimo eorundem confessu, atque prius, quàm finito Musarum suavi concentu cum his loco concedat, summam *Clementissimi Patris Patriae Clementiam atq; Indulgentiam* emerebitur, ne *Fundatorem illustris hujus Scholae magnificentissimum* destituat *Restaurator & Nutritor munificentissimus.* Atque hoc omnium primum erit *Gymnasium*, quod ordine justo excipiet alterum illud, in quo totum fere *inaugurationis negotium* situm. Etenim, ne quid solemnitati decedat, sed huic Actui major constet Autoritas, in conspectum jam peroraturi prodibunt **RECTOR & CON- RECTOR**, quorum hic **REI LITERARIAE PROMOTIONEM SCHOLA- RUMQUE AMPLIFICATIONES** breviter commendabit; ille, florentissimum *C. Plinii Secundi, Trajano Augusto dictum, Panegyricum μερικως* imitaturus, **SERENISS. PATRIS PATRIAE, FRIDERICI WILHELMI, DUCIS SAX. JUL. CLIV. MONT. &c. PRINCIPIS AC DOMINI LONGE INDULGENTISS.** **HONESTAMENTA** perse- quetur, quanquam nunquam ita magnificè quicquam dicit possit, id virtus quia superet ejus. *Via tertium jam praecognoscere Gymnasium, LECTOR* *εξοχωτατε ανδραγυνη*

ἀνδρῶν? Ecce *Dramaticum* est. Nam cūm *trias* (verba *Martiani Capella* recito) princeps imparium numerus perfectusque censeatur, dum prior initium, medium, finemque sortitur, & centrum medietatis ad initium finemque interstitiorum aequalitate componit; unde non tantum omne trinum perfectum vulgò habetur, sed in Sacris quoq; numerus iste usurpatus legitur; *ter* siquidem, referente *Nicomacho*, in *Eclogis* τῶν Θεολογικῶν ἀριθμητικῶν, libabant, *ter* sacrificabant, qui preces suas perfici à DEO cupiebant; secundum *tria* item legibus oraculisque sacra facere jubebantur, nempe statò anni tempore, mense atque die; accedit, quod mortuorum nomina *ter* vocare moris fuisse scribat, qui in iis, quæ ad Græcanicam Antiquitatem pertinent, priorum Scriptorum operam omnem jubare suo obfuscavit, *Jo. Meursius*: Cūm, inquam, ternarius numerus primus perfectus, perfectum item, quod ternario numero finitur, habeatur, neque hîc meamque operam subtrahere volui, debui, potui; sed, ut GYMNASMATUM TRIADE perfectior interim CLASSIS SUPERIORIS INAUGURATIO evaderet, ductum Spiritus S. secutus, DRAMA POETICUM APOCALYPTICUM paravi, in superiori Acroaterio, eodem inaugurationis die, exhibendum. Exhibebitur igitur quinque distinctis Actibus, post Panegyricos nostros Sermones, è Cap. XII. Apocalyps. Johannitica petitum, sed sub pugna terrestris schemate rhythmis Teutonicis dispositum DRAMA ANGELICO - SATANICUM de MICHAELE ADVERSUS DRAGONEM feliciter pugnante & triumphante. Atque idem hoc ANGELICUM DRAMA (quoniam in nostro Lyceo non omnibus spectatum venientibus spatium dabitur) iterabitur postridie in inclyta Urbis Curiâ, finitâ quidem DISPUTATIONE INAUGURALI, quæ ex LOGICIS de SYLLOGISMO in Auditoriò majori habebitur, VIRO perquam Reverendo Clarissimoq; DNO M. CHR. HEINRICO LOEBERO Præside. Dum verò illius ex consilio τὸ τοῦ ἀσκημα διαλεκτικόν hodie itidem intimo, Ego interim domi paro ἀσκημα quoddam ποιητικόν Latinum. Propediem enim horâ locòque sueto comparebit cum assuetis suis redivivus Q. HORAT. FLACCUS, eosque ad PRAXIN ODARUM L. Imi, hætenus prælectarum, Meonio invitabit Carmine, cui etiam grata vice respondebunt, sed an pari omnes successu, non ausim affirmare, vadam siquidem tentant, majora deinceps paraturi, εἰν ὁ θεὸς θελήσῃ, καὶ αὐτοὶ ζήσωσιν. Pergerem utique in intimando, nisi, nescio quis bonus Genius, dum dextram hanc, novum calamum arrepturus, protendo, meas insusurraret in aures: MANUM DE TABULA: SAT ENIM LITERARUM EST PICTUM, SAPIENTI QUE SAT DICTUM. Ergo, quod superest, primum autem omnium esse debebat, sine pompato verborum apparatu invito. Quis? Ego, qui meo me modulo semper metior, meamque facillè agnosco parvitatem, contra quàm faciunt,

— — — quos vexat cæcus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem.

Quò? Non in illum Romæ maximum, sed minorem Scholæ Circum, qui loci intercluditur angustia. Ad quod spectaculum? Non ad Amphitheatrale, sed tale, quod nobis inaugurale vocare licet. Quos? SERENISSIMOS SAXONIÆ DUCES, qui

sublimi feriunt sidera vertice,
digni Meonii carminis alite.

Nimirum, quod Superi fortunassint,

SERE.

SERENISSIMUM AC CELSISSIMUM PRINCIPEM
ET DOMINUM,

DN. FRIDERICUM
VVILHELMUM,

DUCEM SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTANIÆ,
Comitem Provinciam Thuringiæ, Comitem Limitaneum Misniæ,
Principem Heenebergiæ, Comitem Marca & Ravensburgi,
Ravenst. Dynastam,

PATREM PATRIÆ INDULGENTISS.

SERENISSIMAM AC CELSISSIMAM PRINCIPEM
ET DOMINAM,

DN. MAGDALENAM
SIBYLLAM,

ELECTORALI STEMMATE PROGNATAM ET ELOCATAM
Ducem Sax. Jul. Cliv. Mont. Comit. Provinc. Thur. Comit. Limit.
Misn. Princip. Henneberg. Comit. Marca & Ra-
vensb. Ravenst. Dominam,

MATREM PATRIÆ INDULGENTISS.

ILLUSTRISS. AC CELSISSIMOS PRINCIPP.
& DNN.

DN. CHRISTIANUM,
DN. FRID. VVILHEL-
MUM,

DUCES SAX. JUL. CLIV. MONT.
&c.

DNN. CLEMENTISS.

ILLUSTRISS. AC CELSISSIMAM PRINCIPEM &
DOMINAM,

DN. JOANNAM SI-
BYLLAM,

DUCEM SAX. JUL. CLIV. MONT.
&c.

DOMINAM CLEMENTISS.

ILLUSTRISSIMAM AC CELSISSIMAM PRINCIPEM
& DOMINAM

DN. DOROTHEAM,

NATAM & VIDUATAM DUCEM SAX. JUL. CLIV.
MONT. &c.

DOMINAM CLEMENTISS.

ut &

JH Ya 24
EMINENTISSIMOS DUUMVIROS,
DN. CANCELLARIUM

nec non
DN. VICE-PRÆSIDEM,

illustris Beneficii, quod in superiore aperienda Classe apparuit,
PARARIOS,

cum
MAGNIFICIS, GENEROSIS, PRÆSTRENUISQUE
DN. CONSIL. PRÆFECT. EQUIT.
AULICIS,

V I R O S
item

MAXIMÈ REVER. EXCELLENTISS. AMPLISS. CONSULTISS. EXPERIEN-
tiss. Prudentiss. Clariss. Præstantiss.

DNN. EPHOROS,

ECCLESIAE,
QUÆSTURÆ,
CURIAE,
SCHOLÆ,

cum
ceteris Literarum
PATRONIS, FAUTORIBUS, CULTO-
RIBUS
INDEFESSIS,

È bono oppido - Rev. Ampliss. Excellentiss. DNI PRÆSULIS GENERALIS,
qui vehementer promotam hanc cupit Rempublicam Scholasticam, consilio,
humillimè, submissè, officiosissimè, & amice ad auscultandum, ad spectandum invito, atque
debita, quâ par est, observantia rogatos volo, ut cras $\xi\upsilon\nu\ \tau\omega\ \theta\epsilon\omega\ \acute{\alpha}\pi\alpha\nu$, Hora XII.
feliciter auditâ, sepositis interim provincialibus curis atque gravioribus ne-
gotiis, nostrum Pædeuterium splendidissimis præsentia radiis illustrare, solemniq; IN-
AUGURATIONIS SCHOLASTICÆ Actui interesse haut dedignentur. Tantam
enim Clementiam, tantam Benivolentiam, tantum Favorem cum redhostire ne-
queamus, Semper deprædicabimus, nec antè promissi nostri obliviscemur,

quàm venascetur seges in profundo
vel fretum dulci resonabit unda,
quàmq; descendet glacialis urse
fidus & ponto vetito fruetur.

P. P. Altenburgi D.
Michaëlis, Anno cl
1767 LXII.



F. H. 25, 20.

(X 2000 292)

Ya
214

FAXIT DEUS BON
SCEVA!
S O L E M N
CLASSIS SUPER
MUNIFICO INDULT
SERENISSIMI PATRIS
FRIDERICI VII
DUCIS SAX. JUL. CLIV. MO
PRINCIPIS AC DNI CLEM
IN
ILLUSTRI SCHO
PALÆOPYRG.
NON ITA PRIDEM A
INAUGUR
NEM,
QUÆ
HABEBITUR
PR. KAL. OCTOBR. ANNO A
1767
INDICIT,
INSIMUL
AD
DRAMA ANG
SATANICUM
HUMILLIME, SUBMISSE, OF
AMICE
INVITANS,
M. CHR. FUNCC
RECTOR.

TYPIS JOH. BERNHARDI BAWER

